



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 42. In Boni-aëris portu turbatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

locus erat eminens, quod Divi Thomæ cœmeterium Barbari ex Majorum traditione ideo appellant, quod olim Divus ille Indorum Apostolus, per eas terras transiens, magnam multitudinem post Baptismum ibi sepelisse diecetur. Qui locus, quia magnas opportunitates habebat, & circumvallatus esset multis Ethni-corum pagis, ad fundandum oppidum ab Diastanio, erectâ Cruce, designatus est: & ut mireris Dei opera, ultra tradidere sua nomina, qui Rupisum sapientem necem quæsierant; & inter Antropophagos crudelissimi habebantur. Præter quadri-gentas familias spontaneè iclatim novæ foundationi devoentes, totidem alias per lylvas & arduas rupes excursione factâ, idem Diastanus reduxit, constructumque oppidum Divo Thomæ jure bono consecravit. Inter has progressionum felicitates pestis pleraque Guairanæ nova oppida vastans, Sociis laborandi materiam propè infinitam præbuit. Sed longè major eorum animos afflictabat sollicitudo reputan-tium, quò tandem vergerent tot latronum cohortes, verentiumque, ne, excuso omni metu, spretaque Sacerdotum reverentiâ, & jam libato Sacro Sanguine, pàlam Neophytis nostris bellum indicere auderent. Augebat suspicções novus Paraqua-riæ Prætor, ex Europa per Brasiliam eo, quo latrones ventitare itinere solebant, re-cens in Guairaniam invectus, qui quia Societatis rebus infensus erat, lugubrem historiæ materiam præbiturus timebatur.

**I**N portu Boni-aëris naufragata concordia, & ejus loco emergens discordia, Republicæ capita periculose inter se commisit. Prætor fluminis Argentei honestissimum virtutis Commissioni Sancte Inquisitionis & Bullæ Cruciatæ præpo-situm in vincula magno cum dedecore trahi iussérat; Episcopus vero, prætenso jure Ecclesiastico ob personæ munia, ad se causam pertinere aiebat: cum non impetraret, imperata Clericis suis invasione, vi perfracto carcere, è vinculis hominem educit. Prætor armari cives, tormenta onerari, tympana pulsari, & omnia ad vim parari jubet. Episcopus contrâ lugubri campanatum sono urbem Sacris interdicit, Prætorem fulmine Ecclesiastico ferit: urbs factionibus discinditur: & nihil proprius erat, quam ut periret, nisi Societas Episcopum & Prætorem utcumque conciliaasset: qui tumultu utrumque sedato, & armorum pœnarumque Ecclesiasticarum minis amotis, lite ad Senatum Regium delatâ, jus ioum deinceps legitimè & inter fori claustra procurârunt. Sub finem anni, Mutii Vitellesci Generalis litteræ apertæ sunt, quibus primo loco Joannes Romerus, pro Nicolao Durando Mastrillo in Peruviam revocato, Paraquariae Provincialis designabatur. Sed quia deponta-nam ætatem excufabat, secundæ litteræ referatae sunt, Francisco Valquio Truxilio Provincialatum in casu mortis demandantes. Cujus res antequam scribere aggrediatur, pro instituto meo, Nicolaum Durandum Mastrillum, Provinciae nostræ utilissi-mum virum, debito obsequio prosequi lubet.

**N**ICOLAUS Durandô Mastrillo patria fuit Nola, Neopolitani regni urbs inlyta. Nobilitatem è Mastrillorum stirpe non sine Hispani sanguinis mixtione hausit. Carolum & Gregorium Mastrillos, Societatis nostræ viros, planè illustres pattiuos, Marcellum vero Xaverium Mastrillum nostri avi Heroem clarissimum nepotem habuit. Centurionis gradum pæne puer adeptus est, ut nempè plurâ ornamenta pro Christo sperneret. Neapoli Societatis tyrocinii & studiorum philosophicorum curriculo emenso, Apostolicorum laborum sitiens, in Peruviam navigavit. Sacer-dotio insignitus, ob adeptam linguæ Quichoæ peritiam, per Guamangæ tractum ad Ethnicorum terras obedientiæ alis delatus, multa pro augenda Dei gloria & diu pettulit. Arequipam missus, ad Condesios Barbarie insignes populos excursione factâ, memorabili illâ cinerum pluviâ pænè obrutus fuit. Inde redux Julide Rectorem egit: ubi Atmarram linguam diligens gentes illas barbaras, uti Alegambe refert, Apostolico spiritu excoluit. Deinde non interrupto labore Quitenis & Chuquisacensis Collegiorum Rector fuit, donec Alvares de Paz, Peruvia Provin-cialis, eum in Socium assumeret: quo in munere sexennio posito, anno hujus seculi decimo-octavo Procurator Romam missus, ita se Mutio Vitellesco probavit, ut

Sancti Thomæ cœmeteri-um.

Franciscus Diastanus oppidum fundat.

Oligentes familia re-ducentur.

Pefit.

Belli meritus.

CAPUT  
XXXII.  
In Boni-aëris portu turbatur.

Discordia inter Præto-rem & Epi-scopum ori-tur.

Ab Societate utcumque sponitur.

CAPUT  
XXXIII.  
De Nicolaus Durando Mastrillo Provinciali.

Eius parens, Pueritia.

Navigatio.

Missiones.

Officii.